



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis ſextâ menſis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXV.

M. HUGONE GAUTHIER, Conſiliario Regis Medico, vices gerente M. GUIDONIS-ANDREÆ GARNIER, in Inſulis Guadalupiâ & ädjacentibus Conſiliarii Regis Medici primarii, nec-non in iiſdem Pharmacopæorum & Noſocomiorum inſpectoris, Doctoris Medici, Præſidis.

An prægnantibus, parturientibus & puerperis diæta ſœpiùs temperans, quandoquè tonica?

I.



ULIER naturæ decus & honos, ad reipublicæ emolumentum nata, gentium ſpem ac ſolatium præ ſe fert. In ejus enim prole tota noſtra innititur felicitas. Quòt igitùr & quantæ nobis obviæ rationes, ut illius ſanitati tutò ſervandæ invigilemus? Enim verò debili ſuâ conſtitutione, peculiari *organiſatione*, diverſiſquè functionibus ſibi propriis, viro infelicior eſt fœmina: indè peculiares & diverſi naſcuntur morbi, quibus per totum vitæ ſtadium obnoxia eſt. Prætereà, à conceptu ad puerperii finem

aliis laborat incommodis ex pravo rerum non-naturalium usu sponte fluentibus. Cùm autem a se invicem, pro diversâ constitutione, singulæ mulieres discrepent, una igitùr & eadem diæta non omnibus convenit; sed varia pro variâ corporis temperie; diversa, pro diversâ ætate; varia denique pro variis locis, anni tempestatibus & circumstantiis.

I I.

QUOT homines, tot temperamenta: ad quatuor tamen revocari possunt omnia: *sanguineum* videlicèt, *phlegmaticum*, *biliosum* & *melancholicum*. In constitutione *sanguineâ* quædam fluidorum, solidorumque major activitas & energia, inflammationes & alia sæpè funesta mala, lenientium & temperantium usu moderanda sunt. In *phlegmaticâ* vasorum laxitas, deficiens tonus elateriumque languens, humores lenti, pituitosi & glutinosi corrobantia, stimulantia, purgantia, & omnia generatim cardiaca requirunt. In *melancholicâ*, fibris strictis & compactis, minimè oscillantibus, humoribusque densis & tenacibus præditâ, laxantia, aperientia, resolventia arrrident; flatuosa autem periculosa. In *biliosâ* ubi solida fortiùs elastica, major tensio, minor humidi copia, olea acriosa, sales magis exaltati &c. feliciter usurpantur lenientia, diluentia, temperantia, uno verbo, omnia anti-phlogistica; arceantur autem calida.

Quibus positis demonstrandum venit, diætam prægnantibus, parturientibus & puerperis esse variandam.

I I I.

DIVERSAM mulierum non prægnantium constitutionem esse nemo inficias ire potest. Hæ autem, dùm gestant & parturiunt, variis præcipuè vicibus obnoxiæ sunt. In *sanguineis* scilicet plethora generalis, totius corporis gravitas & lassitudo, hemicrania, propensio ad somnum, narium & uteri hæmorragiæ, hemophtysis, extremitatum inferiorum varices, nonnunquam anevrismata observantur. *Phlegmaticæ* aliis & diversis affectibus laborant; hujusce generis sunt prava obesitas, leucophlegmatia, extremitatum inferiorum œdema, catarrhorum omne genus, pectoris & abdominis hidrops, uteri ascites, aliaque mala à serosâ colluvie pendentia. In *biliosis* varia sæpè deprehenduntur mala, pulsus nempè quasi febrilis, calor incommodus, sitis ferè continua, febris ardens, inflammationes, oris aut labiorum aphtæ, angina, dysenteria, cæterique morbi ex acutorum genere. In *melancholicis* systhema nervosum præcipuè sensilius, animi pathemata vividiora; hinc ad spasmum

convulſioneſque proclivitas, capitis vertigines, præcordiorum anguſtiæ, cordis palpitatio, reſpiratio anhelosa, triſtitia, pravæ digeſtiones, abdominis congeſtiones, varia demùm incommoda, quæ ab hyſterico affectu ducunt originem.

Ut autem præcaveantur omnia hæcce mala, ſequitur ex ſuprà dictis, diætam pro variis temperamentis variandam.

I V.

QUOD ratiocinium ſuadet, praxi confirmatur. Paucis abhinc annis inviſendæ mihi occurrerunt duæ mulieres, in quibus à conceptu ad puerperii finem quædam omninò diverſa prorsùs aderant ſymptomata. Altera conſtitutione ſanguineâ ſimùl ac biliosâ, affectionibus ſpaſmodicis, imò convulſionibus vehementiſſimis obnoxia. Altera temperamento phlegmatico prædita, diverſis incommodis à ſerosâ colluvie pendentibus laborabat. In prioris gratiam per totum geſtationis, parturitionis & puerperii decurſum feliciter adhibui diætam lenientem, diluentem & temperantem, venæ ſectiones, enemata, anti-ſpaſmodica, fotus emollientes, ſemi-balnea, & ſemi-cupia; contraria quidem multoperè nociva fuiſſent. Poſteriorem venæ ſectiones imprudenter iteratæ, diæta *diluens* & *leniens* leucophegmaticam cum uteri aſcite deplorandâ effecerant. Diæta omninò oppoſita, multò præſtantior mihi viſa eſt: undè ſtimulantia, calefacientia, corroborantia & tonica ad puerperii finem iteranda præſcripſi; quo quidem regimine brevì integrè convaluit mulier.

V.

EX præmiſſis noſtra concluſio patet: at inquient nonnulli, à longo tempore omnes & ſingulæ mulieres, unam eamdemque omninò diætam indiſtinctè & ſine ullâ vel minimâ periculi umbrâ obſervarunt. Sic objicientibus ipſamet obſervatio quotidiana reſpondet hancce diætam generalem, omnibus & ſingulis communem, quibuſdam duntaxat ſalutarem, aliis verò quam maximè noxiam, imò ſœpè ac ſæpiùs lætiferam eſſe. Verùm etiàm ſi concederem quod unum & idem regimen indiſtinctè ſequendo, nullæ mulieres in ultimam perniciem adductæ fuerint, nihilòminùs certum & inconcuſſum foret quaſdam maximo, hujuſce regiminis ope, periculo obnoxias fuiſſe; hinc diætam à conceptu ad puerperii finem variandam eſſe fatendum. Itaquè *geſtationis* initio, quandoquè celebranda venæ ſectio, adhibenda diluentia, temperantia &c. In *partu* ſæpiùs venæ ſectiones, relaxantia, emollientia, ſemi-cupia, fotus emol-

lientes, equidem omnia habitâ ratione circumſtantiarum. In *puerperio* variari debet diæta, proùt mater lactat, vel non. Si *lactet*, ad mammas aſcenſui lactis favendum : hinc accuratè obtegatur thorax, aquâ frigidâ colluantur genitalia, ut docet praxis perpenſa (*a*) : adhibeantur alimenta lenientia & præſertim galactopea, è farinoſis aliiſque vegetalibus deſumpta &c. *In non lactante*, ut ex uberibus lactis repulſio & deſcenſus ad uterum determinentur, capitis vertex & pectus leviter tegantur ; è-contrà hipogaſtrica regio accuratè tegenda : antiphlogiſtica generatim ſit diæta : multò minor alimentorum copia, quam in priori caſu adhibenda : renovatus frigeat aer : in decubitu ſit verticalis ſemper capitis ſitus : adhibeantur pulvinaria ex paleâ avenariâ, aut crinibus conflata. Sedulò autem arceantur plumacea, ſanguinis & humorum rareſcentiæ faventia. Omne tulit punctum, qui in ſuperioribus reſiſtentiam auget, in inferioribus eam minuit : undè ſæpè ac ſæpiùs enemata, fotus emollientes, cataplaſmata, vaporum balnea, injectiones diluentes, ſemi-cupia, nonnunquàm ſaphenæ ſectiones, genitalibus hirudinum applicatio, ad lochiorum faciliorem expurgationem præſtò ſunt : attamen quandoquè etiam tonica, ut patet ex his omnibus ſuprà dictis, adhibenda.

Ergò prægnantibus, parturientibus & puerperis, diæta ſæpiùs temperans, quandòque tonica.

(*a*) *Illa methodus, in inſulâ dictâ Madagaſcar apud Æthiopes uſurpatur, ut vidit & retulit amantiſſimus collega Munier in indiis Orientalibus nuper Medicus.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-RENATUS SIGAULT, Divionæus, Doctor Medicus Andegavenſis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos autor.

A. R. S. H. 1775. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1775